

rem in modum confirmatur. Non incongruè *Job. Pricæus*, in obs. ad h. l. Vox *và* videtur habere vim fortius enunciantis, quod modò affirmaverat. Et *Erasmus*: esse confirmantis. Mihi præ primis arrident *Markii* verba: *Esse hanc particulam planè asseverantis, respondentem τῷ Amen Hebraeorum, quâ rem omni modo veram esse significo, atq; id jurejurando assevero.* Ita de constantia & veritate verborum hæc formula occurrit, *Matth. V, 37. IX, 28. 2. Cor. I, 17. — 20. Jacob. V, 12. Apoc. I, 7.* nec *Johanni*, sed *Spiritui* tribuenda est, ita ut per se orationem absolvat, nec cum verbo *dicit* jungatur. Ad hanc asseverationem spectat proinde, quod *Spiritus* dicit. De quali verò *Spiritu* hic fit sermo, dimicant inter se *Exegetæ*. Ineptè nonnulli cum *Pannonio*: *Angelum cum Johanne loquentem* intelligunt. Paululùm melius, licet etiam minus ad contextum, alii, *vel DEUM*, cujus vox hæctenus percrebuit, *vel Christum*, *Angelum magni fœderis*, *Malach III, 1.* *Haymo*, *Richardus* & *Ansbertus: SS. Trinitatem.* Quorum opiniones, quia suis carent rationibus, meritò rejiciuntur. E contra evidens est, hunc, qui præfixo *Artic. Præpos.* dicitur τὸ πνεῦμα, omninò esse tertiam Deitatis personam, quæ & vocatur τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας & ἡ ἀγάπη. *Joh. XIV, 17. XVI, 13. 7. XV, 26. τὸ πνεῦμα ἀγίου. 1. Joh. V, 6. 7.* quæ persona & antea in septem *Epistolarum* clausulis *cap. II, III* hujus *Apoc.* jam nominata fuit. Atque hic quoque ob majorem antea dictorum confirmationem, se cum voce *coelicâ* unit s. conjungit.

§. IX. Jam indubitatam morientium beatitudinem delineatio status in Domino defunctorum, eaque tam *negativa*, quàm *positiva* comprobatur. Prior his continetur verbis. *ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν, ut requiescant à laboribus suis!* Esse hic sensum defectum & τὸ γενήσεται subintelligendum putat *Piscator*, hòc nempe modò: *Ne, dicit Spiritus, fiet, ut requiescant.* Id ut effugiat *Pareus*, existimat: quod *ἵνα* non *πρὸς* pro: *ut*, sed causaliter pro: *ἐπι* ponatur. Cui & ad stipulatur *Prucknerus*. Probabilior nobis videtur *Job. Pricæi* & *Markii* annotatio: *ἵνα* hic sumi *ἐκ βαλκῶς eventualiter, s. ἐδικῶς, specificativè*, tacit enim multum ad explicandam beatitudinis naturam, vel etiam ad declarandum gradum ejus summum, uti & aliàs reperitur *Joh. XV, 8. XVI, 7. 2. Cor. I, 17. Apoc. VI, 12. IX, 20.*

B 3

§. X.